

imitetur, dum alimentum & calorem ab his accipit; alimentum autem corporis sanguis fit, idemque etiam spiritus vitalis materia: hinc patet ad totius temperiem maximè sanguinem facere. Itaque si sanguis generatur temperatus, corpus etiam temperatum seu calidum & humidum erit; atque hoc appellant sanguineum. Si sanguis sit calidior & siccior, quem biliosum nominant, corpus ab illa optima temperie etiam versus caliditatem & siccitatem declinabit; idque nominant biliosum. Si sanguis sit humidior & frigidior, quem pituitosum nominant, corpus deflectet ad frigiditatem & humiditatem; quod pituitosum temperamentum appellant. Si denique sanguis sit frigidior & siccior, quem melancholicum nominant; corpus inclinabit ad siccitatem & frigiditatem: quod temperamentum melancholicum vocant. Etsi omnes hæ temperies in genere adhuc calidæ sint & humidæ. Atque hoc modo, si hæc opinio explicetur, ei nihil obstant argumenta, quæ contra eam affert, allegato loco, Fernelius: sed eos solum tela illa petunt, qui ab humoribus excrementiciis, bile flava, pituita, melancholia, temperamentis nominanda censent: quibus nullo modo assentiendum censemus. Sed huic rei etiam lucem afferent, quæ infra, cap. 9. de sanguineæ massæ constitutione dicentur.

Totius

Hoc autem totius temperamen-

tum ex triplici quasi temperamento conflatur; temperamento partium singularum, quod ut mixtæ simpliciter ex elementorum mixtione similes obtinent: deinde temperamento illo, quod obtinent, ut viventia, ob calorem singulis partibus connotum: & denique illo, quod à calore vitali influente, qui insitum fovet, & conservat & quasi perficit, accipiunt. Aut si placet duo priora conjungere: Temperatum totius corporis pendet ex temperie partibus singulis insita, & calore, ac spiritu vitali in omnia membra influente.

Ut autem corpus nostrum diversis partibus constat, quarum singulæ peculiaribus actionibus sunt destinatæ: ita etiam quælibet pars peculiarem habet temperiem, & non solum ex elementorum mixtione diversam constitutionem obtinent, sed & aliæ plus caloris insiti, aliæ minus ejusdem obtinent. Nihilominus licet diversa sint partium singularum temperamenta: tamen ita calida frigidis & humida siccis æquantur, ut inde quædam harmonia oriatur, atque temperies media, quæ totum hominem temperatum reddit; producat: concurrente ad hoc calore & spiritibus ex principibus membris in totum corpus effluentibus. Etsi enim omnia membra sibi invicem & toti imprimant & communicent suam temperiem pro virium suarum ratione: tamen partes principes reliqua membra magis afficiunt, quam reliquæ partes,

tempe-
ramen-
tum un-
de con-
stituitur.

Quali-
bet pars
suam ha-
bet tem-
periem.

Tempe-
ramen-
tum to-
tius præ-
cipue à
partibus
princi-

tes,